

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**De Potvleントorvm Cvra In Repvblica Bene Ordinata Ad  
Sanitatis Leges Componenda**


De aqua

**Hebenstreit, Ernst Benjamin Gottlieb**

**Lipsiae, D. VIII. Oct. MDCCLXXVIII**

**VD18 9051775X**

**urn:nbn:de:gbv:45:1-9910**



Nw III 11

47



**#13**

en


Red

Magenta

B.I.G.

White

Black



W.H. 24

François



DE  
POTVLENTORVM CVRA  
IN REPUBLICA BENE ORDINATA  
AD  
SANITATIS LEGES COMPONENDA

---

SECTIO PRIMA

DE AQVA

autem sic sedis ruroribus etiam de ista  
aqua illi obvius non est sed etiam  
dicitur alioquin auctoritate quod aqua  
potum modicis rebus hinc, id est ille aqua  
potum est quod auctoritate antiquorum dicitur  
tempore et aliud idem; etiam tamen illa aqua.

---

FRATERNI AMORIS PIGNVS

ESSE

VOLVIT

ERNESTVS BENIAMIN GOTTLIES  
HEBENSTREIT  
MEDICINAE BACCALAVREVS.

---

LIPSIAE, D. VIII. OCT. CICICCLXXVIII.  
1776

---

EX OFFICINA LANGENHEMIA.

EX BIBLIOTHECA  
OLDENBURGENSIS.



## HEBENSTREIT

Physiolog. metr. c. III. v. 41 - 49.

AUGUST  
Absit ab humano stagnorum pectore potus;  
Vnda lacus absit, nec nudo vase bibatur,  
Quae stetit, et radiis solaribus vsta calescit.  
Limpida si fuerit, facili per viscera motu  
Transit et optato recreat solamine guttur,  
Aptaque sit teneris vasis; nihil ista moratur  
Corpore, sed refluit per colatoria prompte  
Illa sales soluit, rapidos haec suppressit aestus.  
His valuit multum potis antiquior aetas.

# HENRICO MICHAELI HEBENSTREIT

I. E. F.

A A. MAGISTRO ET I. V. DOCTORI,  
FRATRI DILECTISSIMO,

S. P. D.

ERNESTVS BENI. GOTTL.  
HEBENSTREIT.

I. E. F.

MEDICINAE BACCALAVREVS.

**S**i, qua hodie perfundor, laetitiam verbis declarare anniterer, tibi rem de qua nunquam dubitasti, narrare vide rer, ipse vero ego cuitis, quam scriberem, lineae indignarer, propterea, quod animi mei sensa ne leuiter quidem adumbrare, nem dum exprimere valeret. Neque absonta foret vel iniqua ista indignatio, cum difficile sit, ne dicam impossibile, orationem ita componere, ut neque illius tenuitate et

A 2 graci-



gracilitate, neque nimia eiusdem vastitate et vbertate, aliquid de rei, ob quam laetamur, gratia pereat. Adde, quod non praesens tantum delectatio, verum etiam mutui nostri nec vnquam temerati amoris recordatio, summa suauitate animum meum afficiat. Videor mihi, iucundissimos illos cōtubernii nostri annos denuo viuere, tot morum litterarumque praeceptis vtilissimis denuo a TE locupletari, denuo dulcissima TECVM de rebus philosophicis medicisque colloquia instituere. Redeo in dulcedinis illius memoriam, quam toties percepimus, siue florum veneres, siue humanae naturae stupenda miracula iuncto labore et meditatione perscrutaremur. Contigit nempe mihi, praeter alia multa eximiaque summi numinis dona quae nunquam satis grata mente recolere potero, haec etiam rarissima felicitas, vt in TE uno puerilis aetatis instructorem, iuuenis factus, laborum socium, semper autem fidissimum amicum, et — fratrem habuerim. Nihil certe hodie, quod OPTIMAE Nostrae MATRIS, DULCISSIMARVM SORORVM, AMICORVM denique nobis communium in TE cumulatis votis ardentissimis addam, habeo, cum nos omnes aequali gaudio exultemus. Nihil



hil ad illius complementum deficit nisi quod VENERANDVS noster PATER a fatis interceptus eo nobiscum frui nequeat. — Sed lacrymis, dum haec scribo, intercipior, moestis lacrymis, cum tamen laetitiae tantum lacrymis genae hodie madere debeant. Age potius gaudio nosmet ipsos reddamus. TIBI vero FRATER CARISSIME, quid fausta cuncta et prospera apprecer? Habes in virtute TVA qua diuini numinis clementiam promereris, optimum et certissimum perpetuae felicitatis pignus. Amoris mei pignore, TVA quidem de me existimatio non indiget; ire tamen illud ad TE malui, quam vacuis manibus hodie coram TE compare re. TE pro humanitate tua, remissius de illo iudicium laturum nec in iuuene perfectae aetatis vires quaesiturum esse spero.

**M**ulti sunt, et iam olim fuerunt, naturam, dum homines multo pluribus et gravioribus malis, quam bruta infestari passa esset, non almae matris sed nouercae nomen mereri, criminati. Quod tanto magis mirandum esse existimo, quanto luculentiora vbiuis exstent singularis benevolentiae divinae erga nostrum genus vestigia, neminem profecto, sedulo naturam rerum con-

templantem latitura. Fac enim, quod multis tamen dubiis obnoxium est, animalia bruta multa mala molestissimosque dolores, quibus nostra vita circumsepta est, ignorare, magna tamen in eo humanae fortis eminentia est, quod et iucundorum rerum longe clariorem ac diuturniorem sensum acceperimus, et rationis diuina virtute, quae brutis negata fuit, mala imminentia tempestive praeuidere et amoliri possumus. Taceo, quod affatim philosophorum auctoritate comprobatum esse censeo, homines qui libertate fruerentur et simul malis omnibus exempti essent nulla ratione fieri potuisse. Cum vero ista libertate mortales saepenumero in perniciem suam abutantur, et, quae in commodum ipsis cedere possint, vel ignorent, vel intelligere nolint, atque a sanitatis praesertim conseruandae cura animi aliis negotiis in diuersa omnia plerumque distrahantur, nemo dubitat, homines ex vulgo plurimos, tutela aliorum indigere, viam ipsis commonstrantium, qua incidentes et praesenti sanitati consulere, et minantia morborum pericula auerruncare possint. Magnam proinde administrationis publicae partem huic curae semper datam fuisse, quis est,  
qui



qui nesciat? Ut vero ciuium sanitati prospiceretur, non sufficiebant leges, quibus vulgi se ipsum pessundans temeritas coeretur; verum etiam, cum rerum extra nos positarum magna sit in corpus nostrum agendi potentia, sola facile mala indole nocitura, aliis quoque institutis publicis opus erat, quae ab omnibus rerum externalium noxis ciuium valetudinem et vitam defenserent. Hinc omnis sanitatis publicae administratio, in duas partes dispesci potest, quarum altera homines a prauo rerum ad vitam necessariarum aut voluptati inferuentium usu deterrentur, altera cauetur, ne, absque incolarum alicuius loci culpa sanitatis eorum ab aeris, tempestatis victusque malignitate detrimentum capiat. Duplex ista cura tam late fere patet, quam ipsa vulgo sic dicta medicina forensis. In tanto autem huius scientiae ambitu non exigua dignitate conspicuus est ille locus, qui *de potulientorum in republica bene ordinata tuenda salubritate* praecipit. Poterit vero dupli modo in republica potus ratio haberi, ita scilicet, ut ex altera parte potulientorum inopiae et abusui obuiam eatur, ex altera vero ab omni noxa et impuritate ipsorum natura libera seruetur. Quapro-

pter cum apud me de hoc argumento dispu-  
tare constituerim, praedictam normam ita  
persequar, ut praecepta et instituta huc facien-  
tia ex veterum scriptis potissimum repetam.  
Quae via quo plus difficultatis habet, eo  
promptiorem errorum veniam a rerum in-  
telligentibus me iuuenem parumque in  
his laboribus exercitatum tironem impetra-  
turum esse spero.

**S**i is potus, quo hominum plurimi vtun-  
tut, p[ro]ae omnibus aliis magistratum cura  
dignissimus est; facile quisque intelliget,  
quantum reipublicae intersit, vt AQVA ab  
omni noxio inquinamento pestiferaque la-  
be infons seruetur. Quantumuis enim  
tanta rerum naturae vbertas tantaque mu-  
nificentia est, vt hominibus praeter aquam  
aliorum quoque potuum materiem affatim  
largiatur, aquam tamen p[ro]ae reliquis non  
modo saluberrima indoles et leuitas, cuius  
virtute succos animales egregie temperat,  
verum etiam vilitas, ac denique ad coctio-  
nem ciborum summa aptitudo commendat.  
At, quo vberiorem fere vbiique sui copiam  
facit, eo pluribus modis deprauari potest.  
Plurimum itaque refert, scire, quae aquae  
salu-



saluberrimae sint, quibusque signis ista salubritas declaretur. Conueniunt autem naturae humanae, quae *limpidissimae*, siue *purissimae*, *leuissimae* et *plane insipidae* sunt.<sup>a)</sup> Atque cum praeter marinam aquam (cuius potus ab humorum nostrorum indole quam maxime abhorret) quintuplex omnino sit aquarum species, *coelestis* nempe, *fontinalis*, *fluvialis*, *putealis* et *palustris*, age nunc, quae inter has reliquis salubritatis palmam praeripiatur, instituta comparatione experiamur.

*Coelestis* aqua dici assueuit, quae collecta ex vaporibus solis ardore ex terra prolicitis, atque in superiore simulque frigidiore aeris regione denuo condensatis, in terram imbris vel niuis vel grandinis speciem induita decidit. Grandinum aqua glacialem aemulatur. Vtraque scilicet, ponde-

A. 5 re

a) HIPPOCRATES in libro *de aere aquis et locis*, omnibus fere paginis collaudat ὑδατα λευκη, ἐνωδη, μαλακη, ιχθυ λεπτη. Idem de aquarum salubritate PLINIUS *Hist. Nat.* L. XXXI. c. 2. CELSVS, L. II. c. 18. ACTIVARIUS in Libro *de Diaeta*, omnes denique veteres Medici sentiunt. Iis suffragantur recentiores, ex quorum numero Patrem nostrum IO. ERN. HEBENSTREIT allegasse sufficiat; in *Anthropologia forensi*; Sect. I. c. II. §. 9. Ed. 1753.

re leuissima est, nec tamen semper ab omni peregrinarum particularum connubio libera. <sup>b)</sup> Quod vitium glaciali aquae admodum sollempne, grandinosa aquae tunc potissimum adspersum est, vbi magnus solis aestus impurique vapores regionem aeris inferiorem occupant. <sup>c)</sup> Ipsa vero tum glacialis aquae tum ex grandine colliquato ortae leuitas, etiamsi ab impuritatis reprehensione secedere vellemus, ideo vix laudanda venit, quoniam expeditus quidem utriusque in vasā transitus, at parī modo celerime per illa fluxus absoluitur. Nutritiis enim particulis, quas aude ex cibis arripuit, non tam saturata quam leuiter infecta,

b) Cf. BOERHAAVE *Elementa Chemiae*, L. B.  
1732. 4. T. I.

c) HIPPOCRATES l. l. τὰ ἀπὸ χιόνος καὶ κρυστάλλων  
(ύγειας) πονηρὰ πάντα. δικόταν γὰρ ἀπαξ παγῆ, οὐκ  
ἔτι ἐς τὴν ἀρχαῖν φύσιν καθίσαται, ἀλλὰ τὸ μὲν ἀυτέν  
λαυπτὸν καὶ κεφόν καὶ γλυκὺ ἐκκρίνεται καὶ ἀφανίζεται,  
τὸ δέ θολωδέσατον καὶ ταῦθιμοδέσατον λήπεται. PLI-  
NIVS etiam l. c. eorum, qui niualem et glacialem  
aquam saluberrimam esse opinentur, errorem refellere vitae interesse censet, — apposito  
grandinum argumento e quibus pestilentissimum po-  
rum esse conueniat. Idem L. XIX. c. 4. niuales  
et glaciales aquas *poenas montium nuncupat*.

fecta, et in sanguiferis vasis cruoris globulos inualido vinculo cohibens, in maioribus vasibus illas quidem non facile secedere, nec in interstitia deponi patitur, horum vero ad latera vasorum attritum non infringit; ad minores autem canaliculos ubi ventum est, rubri globuli simul sese iis insinuant, nutritiae moleculae vel nimis cito derelinquuntur et ad inepta loca coaceruantur, vel una cum tenuissima humorum parte per aquosa colatoria cutim et renes proximo alueo prodiguntur. Quae omnia rite contemplatis mirum certe non videbitur, glacialis aquae potores lente parumque nutriri atque multos morbos, quos humorum mala mixtio et tenuitas parit, ut inflammationes, haemorrhagias varias, sudores colliquatiuos et diabetem frequentissime experiri. Minus noxius est, nec tam admodum commendabilis aquae niuialis potus.<sup>d)</sup> Ex omnibus autem coelestis aquae speciebus pluuiialis in se quidem optima est, dummodo non ita facilis esset eiusdem corruptio.<sup>e)</sup> Cum enim vniuersae aquae

d) ACTIVARIUS l. l. φεύγειν πρὸ πάντων δεῖ τὰ πάντα ψυχρὰ, καὶ τὰ ἀπὸ τῶν χιόνων λυομένων κατίοντα.

e) BOERHAAVE l. c. p. 597. seqq. HIPPOCRATES l. c.

aquae haec tenus commemoratae, quae ex aëre in terram deueniunt, vix vnquam ab inquinamentis, licet parcioribus liberae sint, siue illa a particulis volatilibus salinis vna cum aquosis in auras abreptis, siue a ffordibus variis animalculisque aëri innatantibus, et cum pluuiia niuibus vel grandine in terram decidentibus repetere velis; pluialis aqua vel ideo huic corruptelae maxime obnoxia est, quoniam calidore plerumque coelo, vbi aér peregrinis istis particulis differtus quasi est, imbres solent depluere. Vnde haud exigua profecto fides illi experientiae accedit, qua aquas pluiales tempestate frigida et ineunte vere collectas saluberrimas esse efficitur. Tunc enim uti aërem sic etiam imbres multo minus ac per aestatem particulis alienis contaminatos esse, ipsa rei natura docet.<sup>f)</sup>

Ad

f) BOERH. p. 601. Ad tales aquas COLUMELLA etiam respexit, dicens: *colligendae aquae pluiales, quae salubritati corporis sunt accommodatis simae.* Et paullo post: *hic idem tamen humor (palustris nempe aqua) quamvis nocentis naturae, temporibus tamen hiemis edomitus imbris miscet; ex quo coelestis aqua maxime salubris intelligitur, quod etiam venenati liquoris eluit perniciem.* De re rust. L. I. c. 5.

Ad aquas coelestes levitate proxime accedit *fontana*. Scilicet pluia, nix et glacies liquata atque a terra resorpta, solum penetrat profundius, unde dein collecta aqua, depositis forte adhaerentibus sordibus, purior nunc facta prosilit. Sponte autem quilibet hanc aquam tunc sincerorem fore intelliget, quando ab imbrum illuuiet et turbulentia procul remota est et in arenoso loco scaturit. Merito sane talis aqua pro purissima simulque naturae nostrae conuenientissima habetur. g) Non enim tam cito diffidatur quam coelestis, et, licet densior tardius putore foedatur.

Multo inferior fontanae aquae *fluvialis* est, quippe quae, nisi in alueo sabulofo silicibusque intersperso fluat, identidem imbribus et omne genus procellis turbatur, et, nisi expurgari nonnunquam possit, plantarum putrescentium coeno pisciumque demortuorum tabo foetidissimo confusur.

g) HIPPOCRATES l.c. VARRO *de re rust.* L. I. c. II. COLVSELLA l.c. ACTVARIVS l.c. Plura veterum de hac re testimonia collecta periuntur in Illustris quondam IO. ZACH. PLATNERI Progr. quo aquam fontanam salubriorem caeteris esse ostenditur.

tur.<sup>b)</sup> Alia peste fluminum propulosas  
vrbes alluentium aquae inficiuntur. Huc  
enim cloacae, huc domuum sterquilinia,  
huc sordidorum opificum retrimenta tan-  
quam in communem aliquam latrinam cor-  
riuari plerumque solent. Quae pernicies  
etsi quam maxime abominanda est, in ali-  
quibus tamen locis scatebrarum vbertate  
compensatur, alibi autem, vbi hae des-  
ciunt, ciuium sanitati inimicissima est, ni-  
si forte ob alueum admodum decluem, vi-  
cinasque cataractas, fluminis vnda rapidis-  
sima sit. Corporis humani naturam recte  
intelligens, in rationes facile introspicit, cur  
tam variis sordibus foetae aquae pessima  
quaeque sanitati comminentur. Si enim  
ad commune his omnibus aquis impuris  
vitium respicimus, illa quidem cogitatio-  
nos, annuente experientia, docebit, aquam,  
quo pluribus iam salinis et mucilagineis  
particalis polluta sit, eo minorem copiam  
illarum particularum in se recipere deinde  
posse. Cum vero aqua *vitaे* quasi, vt  
**BOERHAAVIUS** ait, *instrumentum* sit, cuius  
ope

b) Pisces, licet in aquis vivunt, mortui tamen  
mox putredine consumuntur; soluto, quod viuo-  
rum squamas et integumenta continuerat, glu-  
tine.

ope salinae gelatinosae et mucilagineae particulae in viis digestionis solui atque extra hi, tota vero massa cibaria dilui debet, ne mo non intelliget, illam quae iampridem peregrinis particulis sese satiauerit, tum digestioni tum nutritioni plurimum officere illi quidem propterea, quod et bilis con nubium respuit, et cibos, non exacte diluit, et a vasibus resorbentibus aegre assugen da tota sua mole per relaxata intestina transit; huic vero, quia nec dulce illud sal chyli et gelatinosas mucilagineasque particulas ex cibis extractas facile in sui consortium venire patitur; neque etiam, si forte cum illis contrita magis quam commixta fuerit, bonum chylum praebet, sed talem, qui plus minusue tenax per vasla lactea vix transeat, atque ad sanguinem tandem delatus, morbis potius quam nutritioni pabulum praebat. Cum enim ad vascula minima nutritia spissa lympha penetrare nequeat, atque simul abundans humor aegre dilui possit, aequilibrium inter corporis humores tollitur. Hinc densa morborum agmina procreantur, alii, glandula rum, viscerumque obstructions et scirrhi i) phthi-

i) HIPPOCR. l. c. τοῖς δὲ πίνεσι (ὑδαταὶ ἐλάσσει οὐχι τάσιμα

phthisis, atrophia<sup>k)</sup> hyprops, oedema-  
ta,<sup>l)</sup> simulque enata in sanguine par-  
cius diluto acrimonia, febres inflamma-  
toriae,<sup>m)</sup> putridae et neruosae, impur-  
a exanthemata, imo carcinomata,<sup>n)</sup> et  
omne spasticorum morborum genus. Cun-  
ctis hisce malis per aquam quibuscumque  
fordibus impraegnatam ianua aperitur. Si  
vero singulas deprauationis species collu-  
strare placet, ex putrefcente plantarum, ani-  
malium, stercorisque colluuie, tales et tam  
infidiosam prauitatem aquae conciliari pa-  
tebit, quae in primis viis torminibus,  
foetidisque alii deiectionibus saeuat; in  
secundis autem putrefcente sanguinis  
resolutione neruos offendat, vires vi-  
tae emoliatur, et omne nutritionis se-  
cretionis et excretionis negotium euertat.

## Hu-

σάσιμα καὶ λιμνῶια) σπλῆνας μὲν (ἀνάγκη) αἱ τε μεγάλες  
ένοι καὶ μεμυωμένες, καὶ τὰς γυαλέας σκληράς τε καὶ  
λεπτὰς καὶ θερμας.

k) IDEM ibid. Τοὺς δε ἄμους καὶ τὰς κληδας καὶ τὸ  
πρόσωπον καταλεπτήσθαι ἀγάγει —

l) IDEM ibid. πρὸς τούτεοισι οἱ ὕδρωπές τε καὶ πλεῖστοι  
γίνονται καὶ θανατωδέστατοι — τῇσι δὲ γοναῖξιν οἰδήματα  
τα ἐγγίνεται καὶ φλέγμα λευκόν.

m) τοῖσι νεωτέροισι μὲν περιπνευματίαι τέ καὶ μαυιάδηι υρ-  
σένεμαται. τοῖσι δὲ πρεσβυτέροισι καῦσοι διὰ τὴν τῆς κο-  
λίας σκληρότητα.

n) IDEM ibid. Φαιεδαίγμας κοινῶς ἐγγίνεσθαι ἀπὸ πάσης  
προφάσιος ἢν ἔλκος ἐγγίνηται —

Humores enim animales p[re] omnibus aliis in putridam corruptionem proni, in illam, putredinis tali fomite subingresso, nimis facile ruere assolent. Atque saepenumero ista fluminum putrida corruptela contagia vel peperisse vel iamiam saeuientia exacerbasse legitur.<sup>o)</sup> Non minus sed occultius damnum ab aquis multa calcarea et argillacea terra plenis homines inuadit.<sup>\*)</sup> Ab harum enim potu terrestris materiei ad varia loca congestiones, exostoses, morbi calculosi et arthritici, asthmata sicca, tophi pulmonales et scrophulosi glandularum tumores proficiscuntur.<sup>p)</sup> Tinctorum lixi-  
viosa

<sup>o)</sup> DIONYSIUS HALICARNASSENSIS in descriptione pestis, quae Romanam urbem anno CCCI. A. V. C. depasta est, cadauera tunc in Tiberim proiecta multum ad contagii incrementum contulisse commemorat. V. etiam PLAT. NERVS l. c. etc.

<sup>\*)</sup> PLUTARCH. *Symposiac.* L. VI. Qu. 5. μάλισα γῇ μιχθῆσα πρὸς ὕδωρ ἐξίσησι καὶ φθερει τὸ πότιμον — οὗτον ἔυσηπτα μᾶλλον ἐσι τὰ σάσιμα καὶ κοῖλα πολλῆς ἀναπιπλάμενα γῆς, etc.

<sup>p)</sup> Complexus est HIPPOCRATES aquas calcarreas et metallicas sub durarum (*σκληρῶν*) nomine; docuitque hoc aquarum genus διερέεθαι χαλεπῶς καὶ πρὸς τὴν διαχώρησιν. ἐναρτον ἄνου — Notum est incolis complurium Italicarum, Helueticarumque alpium ob hoc aquarum vitium scrophulas et strumas ad guttura enasci.

## B



viosa recrementa in fluvios corriuata eo certius nocent, quo frequentius metallica materia hoc genus pigmentis admisceri consueuit. Omnia enim metalla a corporis nostri natura plane aliena, plurima adeo hostilia sunt, pauca medicis viribus commendabilia. Atque etiam haec postrema, cum omnibus medicamentis hoc commune habent, ut sanis corporibus plus noceant, quam profint. Quapropter nemo facile naturae humanae gnarus ad perpetuum omnino potum sanis aquas medicatas collaudabit.

Aquam *putealem* vel ideo fluuiatili longe inutiliorem esse liquet, quod vitiis, quibus haec interdum saltim contaminatur, illa vix unquam non polluitur.<sup>q)</sup> Per desidiam enim situs in illa excrescit, insectorum

q) Apud omnes fere veteres aqua putealis fluuiatili postponitur. Cf. COLVSELLA, PALLADIVS II. cc. CELSVS L. II. c. 18. Quo magis equidem miror, PLINIVM illam prae reliquis omnibus collaudasse eamque sententiam sat infirmis argumentis comprobasse, dum ita dicit: *Ex quoniam ergo genere maxime probabilis (potus) continget?* Puteis nimirum, ut in oppidis constare video: sed his quibus exercitationis ratio crebro haustu contingit et illa tenuitas colante terra. Salubritati haec satis sunt. L. XXXI. c. 3. Enimvero satis sunt: et optabilis quidem haec aquae

rum ouula facillime excluduntur, et putredine omnis aqua sensim consumitur. Inter omnes vero aquas nulla foecundior morborum mater est, quam lacustris et palustris.<sup>r)</sup> Ista enim non solum ob desidiam, putredinem et fracidum limosumque saporem detestabilem potum praebet, verum etiam foetore suo aërem inquinat, qui deinde ab hominibus vel respiratione vel vniuersali resorptione exceptus, mox occultiorem et raram, mox manifestam et frequentem stragem edit.<sup>s)</sup> Quid plura? Paludum lacuumque noxia effluvia in-

## B 2 omnium

aquae est conditio. Ast, cum admodum rara ea sit in pureali aqua conditio, in fontana autem longe frequentior, quidni hanc illi præferamus?

r) HIPPOCRATES l. c. *damnat οὐατα ἐλάσσει καὶ εὔσινα καὶ ληύναια.* Cf. etiam CELSVS, COLV-MELLA, PALLADIVS, PLINIVS ll. cc.

s) De Empedocle narrant PLUTARCHVS adu. Colot. p. 1726. T. II. Ed. Xyl. et DIOGENES LAERTIVS, eum patriam urbem, Agrigentum, eo quod vtribus montium angustias per quas pestiferus a palustri loco ventus flaret, obturauerit, a peste liberasse. Ex eodem DIOGENE discimus Empedoclem Selinuntios morbi cuiusdam epidemici periculo eripuisse, corri-vatis proprio sumptu duobus vicinis amnibus in flum cuius foetor aerem inquinauerat. L. VIII. Lacum Currium noxiis exhalationibus saepe Romanae urbe pestiferum Tarquinius Priscus exfica-vit



omnium ore sunt; utinam ea aptis institutis corrigere semper animus et potestas esset!

Quae hactenus commemorauimus, si quis inter se comparauerit, eum de fontanae aquae prae reliquis omnibus praestantia, persuasum iri existimo. Spectatur autem illius salubritas in eo, si ex solo arenoso vel argillaceo arena commixto profluit, loco in primis editiore.<sup>t)</sup> Procul absint venae metallicae, cupri in primis, plumbi et arsenici,<sup>u)</sup> calcis fodinae et cloacae, quibus quippe cunctis virosam naturam aqua contrahit.

Prae-  
vit, de quo haec habet OVIDIUS Fast. L. VI.  
v. 403.

Curtius ille lacus, siccas qui sustinet aras  
Nunc solida est tellus, sed lacus ante fuit  
Paludes Pomptinas exsiccare multi Consules,  
Caesares et Pontifices aggressi sunt; et nuper  
adhuc PIUS VI. Plura qui velit, adeat LAN-  
CISII Librum de noxiis paludum effluviis et IO-  
ZACH. PLATNERI Progr. de pestiferis aqua-  
rum putrescentium effluviis.

t) HIPPOCRATES l. c. ἀριστὸν τοῦτον ἐν μετεώρων χωρίων πέπι οὐδὲ λόφων γενεῶν. PLINIUS, COLV-  
MELLA ll. cc. PALLADIO l. I. c. 5. lauda-  
tur: Situs terrarum neque planus, ut stagnet; ne-  
que praeruptus, ut defluat; neque obrutus, ut in  
imam deiecta valle subsidat; neque arduus, ut ren-  
pestates immodece sentiat et calores etc.

u) Palladius l. c. c. 4.

Praeterea scatebrae aprico loco nec  
densis arborum syluis septo promanantes  
optandae sunt, quandoquidem tunc ab  
aere libere commeante aqua optime percu-  
ti atque pura seruari potest.<sup>v)</sup> Habebis  
etiam in eo salubritatis argumentum, si  
aqua tarde putreficit, si aestate frigida, per  
hyemen subrepida est, si cito feruet cito-  
que refrigeratur, si aeri inspersa nullam  
maculam relinquit, si ahena in quibus fer-  
vet nulla crusta obducit,<sup>w)</sup> si saponem to-  
tum soluit et linteis soli oppositis adspersa  
eximiam albedinem conciliat.<sup>x)</sup> Chemicis  
quoque tentaminibus aquae puritas  
cognoscitur, si ab affusa purissimi argenti  
in acido nitri, vel sacchari saturni aquosa so-  
lutione, vel ab oleo tartari per deliquium in-  
stillato nihil immutatur, cum e contrario  
aqua sordibus polluta ab illis liquoribus  
turbetur et albescat.<sup>y)</sup> Ridiculum tamen  
foret, si quis sanitatis, ut ita dicam, nimis  
anxius venator, aquam bibere nolle, do-  
nec ad bilancem exegisset, Chemicisque

## B 3 men-

v) PLINIUS, COLVSELLA ll. cc.

w) De hisce signis consuluntur HIPPOCRATES,  
CELSVS ll. cc. PALLADIUS, L. I. c. 4. et L.  
IX. c. 10. ATHENAEVS *Deipnosoph.* L. II.x) BOERHAAVE *Elem. Chem.* T. I. p. 604.y) IDEM *ibid.* p. 613.

menstruis disquisiuisset. Proinde haec quidem chemica experimenta, vtpote ad vitae communis usum nimis subtilia et laboriosa, eorum potius curae relinquenda sunt, quibus ad medicatarum aquarum examen variousque labores chemicos tali sincerrima aqua opus est. In vniuersali autem aquarum alicuius loci lustratione, vbi salutis ciuium ratio potissimum habetur, ad signa manifestiora paullo ante enumerata respxisse sufficiet. Haud anceps quoque iudicium de regionis alicuius aquis ex incolarum valetudine repeti poterit.<sup>z)</sup> Atque effet profecto medici eruditii (peregrinantis praesertim) quin adeo magistratum cura non indignus labor, annales conscribere, ex quibus, computata incolarum alicuius loci multitudine, notata dein aquarum indole, et in singula vrbe vel vico aqua sibi peculiari vtente, natorum mortuorumque numero, adiectis denique morbis, quibus plurimi ex populo cum afficti tum suppressi quoquis anno fuerint, rationes subtrahentur, vnde salubritas locorum, respectu ad aquas habitu, constaret.<sup>a)</sup> Nec

tamen

<sup>z)</sup> PALLADIUS L. I. c. 4.

<sup>a)</sup> Fac e. g. sex vicos esse in aliqua vrbe cuius incolae ineunte anno sint 36,000, ita vt in vico

A tunc



tamen in eiusmodi tabulis negligi deberent alia valetudinis publicae instrumenta. Namque tunc demum verosimile de aquarum in corpora efficacia iudicium ferri posset, si comparatis inter se pluribus oppidis, vel oppidi alicuius vicis, vel pagis, qui omnes, aeris, victus et opificiorum quibus incolae

B 4                          quae-

A tunc habitent 9,305, in vico B 8,934, in vico C 6,533, in vico D 4945, in vico E 3,699, in vico F 2,584. Ponamus porro (non ut verosimile sed tamen possibile) in his omnibus vicis aëris esse eandem indolem ciuesque plurimos inter se viuendi genere conuenire; aquas vero mixtione, et morbos quibus homines affligantur, et opprimantur ita inter se discrepare, vt in vicis eadem aqua (certe simili) vtentibus iidem morbi in vulgus graffentur; in iis autem locis ubi diversa sit illa, hi quoque a fe inuicem impetu et qualitate abludant. In hac vrbe intra vnius anni spatium

Moriantur	Naſcantur
In Vico A — 1,000	In Vico A — 935
— — B — 715	— — B — 736
— — C — 525	— — C — 703
— — D — 449	— — D — 501
— — E — 432	— — E — 498
— — F — 300	— — F — 423

Supererunt ergo in fine anni

In vico A —	9,240
— — B —	9,154
— — C —	6,755
— — D —	4,997
— — E —	3,732
— — F —	2,607
	36,385

Hunc



quaestum facerent, ratione inter se conuenirent, cum aquarum diuersitate inter morborum quoque genera et hominum singulo loco natorum vel defunctorum numerum magna discrepancia inueniretur. — Eo maior autem varietas in hoc tabularum de-

Hunc computum si recte perpendimus, simulque praecepta arithmeticæ illa in memoriam reuocamus, quæ proportionibus inueniendis inferunt, apparebit secundum has, numerum incolarum cuiusque vici in fine ad eum qui ab initio anni fuerat eadem ratione compositum esse debuisse, qua summa vniuersalis incolarum totius vrbis exeunte anno ad illam quæ ineunte anno fuerat, comparata est. Quas rationes si subduxeris, elucescet e. g. vicum A in fine anni non ita incolis auctum fuisse ac suspicari quis poterat.

Debebant enim supereesse:	At vere supersunt
In vico A 9,401	— — — 9,240
— — B 9,022	— — — 9,154
— — C 6,601	— — — 6,755
— — D 4,996	— — — 4,997
— — E 3,737	— — — 3,732
— — F 2,610	— — — 2,607

Augmentum itaque incolarum Vici A, est — 161, vici B, + 132, vici C, + 154, vici D, + 1 vici E, — 5 vici F, — 3. Hinc, si a reliquis causis secesseris et per plures annos haec ratio sibi constiterit, vicum saluberrimum (h. e. vbi paucissimi moriantur) esse concludes vicum C, post hunc, B, dein D, F, et E, pessimum vero vicum A. Quod si itaque caetera sunt paria, suspicio est, aquarum diuersitati hoc salubri-

demographicarum genere occurreret, quo insignior aquarum in aliquo loco esset diversitas. Raro enim alicui regioni tam felici esse contigit, vt incolae solis fontanis aquis vtantur. Atque certe non inutile est praeter has, in populosis praesertim locis, fluialis quoque aquae copiam ciuibus fieri, cum haec omnino nonnullis vitae necessitatibus accommodatior esse videatur.

Age nunc, dispiciamus, quibus modis aquae salubritati ob admixta peregrina corpora amissae restitui possint. Putor, frequentissimum ideoque pessimum aquarum vitium ipsa aetate corrigitur. Quodsi enim. foetidissima aqua in vasis ita clausis ut aeri quidem aliquis, nullus vero insectis sordibusque accessus pateat, per aliquod tempus constiterit, omnem foetorem disparere, tandemque limpidum laticem coeno demerso innatare experientia magistra cognoscimus.<sup>b)</sup> Aliud, nec tamen pariter efficax putredinis auferendae praesidium in coctione ponendum est. Ea enim, quic-

B 5                    quid

salubritatis discriminem inniti. — Satius duximus, fractionum (quae vulgo dicuntur) in hac computatione obuenientium nullam inire rationem; ne intempestive subtilest suisse videremur.

b) PLINIUS l. c. BOERHAAVE l. c. p. 602.



quid volatile habet corrupta materies, in auras abigitur, quod firmius est, id remanet.<sup>c)</sup> Animalcula vero innidulantia necantur. Longe certior emendatio est, si paucae acidi cuiusdam, (vitriolici praesertim) guttulae instillantur.<sup>d)</sup> Limosis aquis sal, vel mucilagineum quid, vel gelatino-sum adiectum medetur, ita ut particulae terrestres vel a sale exturbentur, vel glutinoso illo additamento quasi irretitiae fundum vasis petant.<sup>e)</sup> Calcarea terra prae-gnante aquam, coctio quoque iuuat, eo, quod terrestris crusta ad latera lebetum deponitur. Aquas metalla perfluentes suo veneno orbare adeo operosus plerumque labor est, ut illas derelinquere quam potabiles reddere vtilius sit.

Cunctae hactenus enarratae rationes aquas insalubres corrigendi, cum paruae solum earum copiae, nec toti fonti vel flu-

mini

c) PLINIVS. BOERHAAVE ll. cc.

d) Eo praesidio nauigantes in primis vtuntur. Constat etiam, aquam dolii sulphure suffumi-gatis a putredine defendi. Cf. BOERHAAVE p. 598.

e) PALLADIVS L. IX. c. 9. *Si aqua limosa fuerit, salis admistione corrigitur.* — PLINIVS L XXIV. Prooem. *Nitrosae aut amarae aquae polenta addita mitigantur, ut intra duas horas bibi*

mini vel puteo corrigendo conueniant, cumque adeo illa remedia in sola priuatorum hominum arbitrio sint, superest, ut disputemus, quomodo aquae ab omni noxia praeseruari, atque ita ad loca habitata duci queant, ut valetudinis ciuium ratio habeatur. Fontes quidem ex eo solo potissimum petendi erunt, quod glareosum vel arenosum silicibusque remixtum est <sup>f</sup>). Nec adsperrnanda sunt rubrorum saxorum scatebrae; semper enim ferreas particulas, in parua copia sanitati proficuas continent <sup>g</sup>). Caeterum in locis montanis vel ad radices montium aquas esse salubriores, antea iam monuimus. Fugiendae autem erunt, aquae ex cretacea vel limosa terra emergentes, omnium maxime, quae in locis verminofis, inter medias paludes cloacasue forte reperiuntur. Quemadmodum etiam vbi salubris fons iam detectus fuit, illum omni studio ab inquinamentis mun-

*bibi possint. — Similis vis Rhodiae cretae et argillae nostratis.* IDEM insalubribus aquis semen pulegii tritum vel cum sale et polenta mederi prohibet. Forfitan ideo, quod pulegium tunc ut carmiuatuum agit. Cf. etiam L. XXXL  
c. 3.

f) PALLADIUS L. IX. c. 8.  
g) IDEM ibid.

mundum seruare proderit. Circumdatuſ nimirum vndique contignatione lignea, in quam tamen per spiracula nonnulla aer ire redireque poſſit, ab omni domuum repurgamento ſegregetur. Coenum vel quisquilias vel cadauer in eam aquam proiicere religio habeatur. Nec poenitebit ſuppellectile hauriendae aquae inſerviens, ex ferro vel lignis picatis optime parandum, ſtatis temporibus euerrere atque purgare, ne aqua per ſe innocens, putorem et ſitum ab instrumentis contrahat. Puteos pari ſollicitudine a ſordibus munita lateribus fossa et exstructa ſuper terra aedicula procul habere magistratum eft officium<sup>h</sup>). Quotannis illi exhauiantor et a coeno purgantor. Eaque cura tanto grauior eft, quanto puteorum in urbibus uſus frequentior<sup>i</sup>).

Ad aquaeductum contemplationem pergo. Fluialem ſcilicet aquam non modo tunc ubi fontes defunt vel parcus proueniunt

<sup>h</sup>) De his et antecedentibus vide VITRVVIVM POLLIONEM L. VIII.

<sup>i</sup>) Multa huc ſpectantia reperiuntur in IO. ZACH. PLATNERI Tr. de morbis ex immundicie. Lipſ. 1731.

niunt, verum etiam ideo, quoniam ad nonnullas res illius usus commodior est, in urbcs corriuare oportet. Per lateritium opus ducere optima via est. Quam, cum vere nimis pretiosa sit, nec ubiuis ob locorum naturam eligi possit, rectissime aemulatur fictilium tuborum apparatus <sup>k)</sup>. Iste enim idem propemodum in tuenda aquarum salubritate praefstant, quod arenosum siliceumque solum, aqua ad asperam illorum superficiem, quicquid folidis habet, deponente. Cum vero hic quoque tum in structurae sumptibus tum in confermentatione multum habeant difficultatis, saepe ad ligneas fistulas refugiendum erit. Verum hic rursus inter varia lignorum genera optio est. Alia enim citius alia serius ab aqua confringuntur et putrescunt. Quapropter talis materies eligenda erit, cuius compages densior et resinae abundantia diuturnitatem pollicetur. Salicta, populeta et quicquid est molliorum lignorum, rarissime adhibeantur, caesis eo frequenter quercubus pineisque et abietinis lignis.

<sup>k)</sup> PLINIVS L. XXXI. c. 6. PALLADIUS L. IX.  
c. II. PLATNERVS in Progr. de aquae fontanae salubritate.

gnis<sup>l</sup>). Erit enim in his lignis non modo perennitatis verum etiam salubritatis aquae ratio. Semper autem internum tuborum cauum, pice illinere conductet — Pessima per fistulas plumbeas ducendae aquae consuetudo est<sup>m</sup>). Fieri enim non poterit, quin aquae attritu salibusue in illa contentis aliqua plumbi particula deradatur vel soluatur. Qua peste nihil atrocius est; eoque magis illa extimescenda cum tectorum occultiori noxam seruet. In omni denique aquaeductuum cura videntur erit, ne aliqua spurcitie aquae innocentia pereat. Cloacae propterea ab aquaeductibus remotissimae sunt, et semper, si fieri poterit, in locum aliquem amnis a capite eiusdem longius quam aquae ductuum initia distantem, corriuantor<sup>n</sup>). Ipsi aquaeductus denique saepenumero, verno

**l) PLINIUS L. XVI. c. 42 VITRUVIUS POL.  
LIO l. c.**

**m) GALENVS de Medicam. sec. locos L. VII. Τὸ  
ὑδωρ διὰ τῶν μολυβδίνων σωλήνων ὀχετευόμενος φεύκα  
τέσσεν· Ιλύματα γάρ τινα τῷ μολύβδῳ κατὰ τέτο περιέχε-  
ται, διὸ γέγονοι οἱ πινούντες ὑποσάθμην τῇ τεινέται, δυσεν-  
τερικοὶ γίνονται. Cf. VITRUVIUS L. VIII. c. 7.**

**PALLADIUS L. IX. c. 11.**

**n) Argumento Romanae cloacae sunt, admirabi-  
le et praestantissimum Tarquinii Prisci opus, de  
quibus**

verno in primis tempore, inspiciendi sunt, quo et fodiibus omnibus liberari, et quasfae fistulae resarciri queant. Eadem in cisternarum tam publicarum quam priuatarum cura prospicienda erunt.

Quamuis a me non omnia, quae in aquarum publica cura consideranda erant, pro dignitate pertractata fuerint, sufficere tamen ea quae enarraui existimo, ad conservandam, aquarum salubritate, ciuium prosperam valetudinem. Atque utinam haec sollicitudo semper magistratum animos occuparet! Apud Romanos spectatissimis magistratibus, aedilibus censoribusque haec cura incumbebat — et quid impedit, quo minus apud nos pari studio geratur? Non quidem prorsus illa negligitur, at feliciore successu gauderet, si medicis aliqua huius prouinciae pars demandaretur. Nolo tamen hanc meam sententiam aliis obtrudere. Multa enim quae intra priuatos parietes lucubratione et meditatione persequimur, usus postea commoditate de-  
stituun-

quibus legi merentur, LIVIVS Hist. L. I. c. 56.  
DIONYS. HALICARN. L. III. PLINIVS L.  
XXXVII. c. 15. IVL. FRONTINVS *de aquae  
ductibus urbis Romanae.*

---

stituuntur. Quapropter, quae in omnibus  
institutis publicis optima est ratio, eadem  
a quarum quoque administrationi conueni-  
re mihi videtur, si nempe, quantum fieri  
potest, paucissimis legibus illa absolu-  
tur. — Evidem huius scriptiunculae te-  
nuitatem nullo alio quam imbecillitatis meae  
titulo deprecari audeo: hoc unum opto,  
ut illa, non a scribendi quidem genere, sed  
ab ea qua scripta fuit occasione et volun-  
tate aliquid commendationis accipiat.







